



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Prophetia Apocalyptica S. Joannis Apostoli**

**Kircher, Heinrich**

**Coloniæ Agrippinæ, 1676**

In Prima Parte Apocalypseos.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-39100**

(163)

PROPHETIA  
CAPUT XXIII

# CATALOGUS RERUM ECCLESIASTICARUM.

QUÆ

In Libro Revelationum ad Ecclesias  
ac nominatim eas quæ sunt Asiæ,  
maximè omnium memorabiles, id est, præ cæteris com-  
memorandæ fuerunt :

Pars jam facta, dilucidè, usque in sæculum 17. Christia-  
num: Pars facienda superest, ante finem mundi,  
quarum proinde rerum  
prædictio hieroglyphica Lectori Apocalypseos & ex-  
plicatori fuit eruenda.

## IN PRIMA PARTE APOCALYPSEOS.

REFERUNTUR OMNIA AD AGNUM SPONSUM.

**P**Rimò PROPHEANTUR ea quæ jam facta sunt, (dum  
hæc scribimus) maximè celebria: pertinentia ad  
Ecclesias agni.

OPpugnatio prædicationis Christianæ  
per { Judæos:  
Hæreticos:  
Gentiles.

MOrs pretiosa martyrum, statim ab initio persecutio-  
num istarum. cui contraria est mors persecutorum  
pessima & Judicium durissimum,

X 2

EX-

**EX**traordinarius decennis conatus Imperatorum Occidentalis & Orientalis conspirantium ad evertendum Christianismum : qui turbo latissimè omnium concussit Ecclesiam à quatuor ventis:

**P**almæ martyrum & Confessorum, qui innumera-  
biles.

**Q**uietis repentina & pax ab ethnicis: medioque hoc tempore dilatatio Ecclesiæ & cultus Christiani.

**P**ER hoc spatium quietis medium, insurgere ac terre-  
re alia mala invicem succedentia. Ad quæ propul-  
sanda signum dari per tubas Ecclesiæ: id est per Con-  
cilia illius universalia : per & Doctores ejusdem;  
per & fundationes Ordinum contra docentium ver-  
bo & exemplo.

**M**ala illa sunt hæc ordine:

Archihæreses capitales; quarum duæ præcipuè inva-  
luerunt in Oriente, & ambæ tertiam partem U-  
niversalis Ecclesiæ corruperunt: videlicet,

**A**Rianismus in materia TRINITATIS:

**N**estorii cum Eutychete conflictus in materia per-  
sonæ & naturarum CHRISTI.

**S**chisma Orientale cœptum Constantinopoli: &  
propagatum in cæteros patriarchatus Orien-  
tis.

**P**rolapsus & defectio Ecclesiarum Orientis in erro-  
res à Fide.

VAcillatio interea Imperii Christiani, quod est  
Væ Orientalis Aquilæ trepidantis.

SUccessio Turcarum in Sedem & Imperium Chri-  
stianum: simul doctrinæ Mahometicæ domina-  
tus; captivitas & jugum Christianorum, con-  
junctum cum periculo animarum & jactura Ec-  
clesiarum.

Secundò, Futura impendentia hæc prophetantur:

Solutio & potestas novissima Dæmonum, cœptu-  
ra ab Euphrate: & introductura Imperium anti-  
christianum;

De hoc Imperio deglutiuntur, id est ruditer com-  
memorantur in fine hujus partis Apocalypseos  
(ac differuntur in secundam partem in qua iterum  
de his prophetetur & latius:)

ANGustia Ecclesiæ illorum temporum per  $\frac{3}{4}$  annos.

DUorum Testium ad Judæos prædicatio miraculo-  
sa; Clades Antichristianorum.

JUDæorum conversio.

Post quæ imminet Tuba novissima Judicii extremi.

## IN SECUNDA PARTE APOCALYPSEOS.

REFERUNTUR OMNIA AD MULIEREM SPONSAM.

PROPHETANTUR ITERUM, ET À CAPITE:

INimicitia inter antiquum Serpentem; ac mulie-  
rem Ecclesiam Christi teneram, parturientem: